


Fl. 270

A) Remchingen Jr.

Tab A 2) - 44)

nicht vorfindbar
nach RK



THEMATA IVRIS
CONTROVERSI,

EX IVRE CI-
VILI ET FEV-
DALI DESUMPTA

2^V AE

Divina aspirante clementia
PRÆSIDE

Nobilissimo & Amplissimo viro

Dn. ARNOLDO DE REYGER
I. V. D. CLARISSIMO ET IN ILLV-
stri Academia Ienensi Pandecta-
rum P. P.

Publicè discutienda proponit

ALBERTVS AB OSTAV
BORVSS.

Ad d. 24. Maij, hora VI. matut. in novo
ICTorum auditorio.



IENÆ
TYPIS TOBIÆ STEINMANNI.
ANNO MDCCCXCV.



Magnifico, Nobilissimo, & Amplissimo
viro, summa dignitate & auctoritate, nec non
maximarum rerum usu atq; experientia
prestantissimo,

Dn. IOHANNI A RAVTER &c.
Illustrissimi Borussiae Ducis, in aula Re-
giomontana Burggravio & Consiliario longé fide-
lissimo, Domino affini & patrono suo omni
observantiae studio venerando.

Magnifico, Nobilissimo & Strenuo viro,
praecleara eruditione, ac rerum usu multipli-
ci spectatissimo,

Dn. ALBERTO A SCHLVBVTH &c.
Eiusdem Illustrissimi Borussiae Ducis
Consiliario dignissimo, Consobrino ac patrono
suo summa reverentia perpetuò
colendo.

NEC NON

Perantiqua Nobilitate, doctrina & singu-
lari vitae integritate conspicuis
viris,

Dn. IOHANNI, ET Dn. FOELICI A
KVCHENMEISTER, FRATRIBUS GERMANIS
&c. Consobrinis itidem suis observan-
tissimis,

Hasce suas assertiones in debita observantia testi-
monium & gratitudinis symbolum, M.
L. mittit, offert, dicat

ALBERTVS AB OSTAV
A. & RESP.



QVÆSTIONES IV- RIS CONTROVERSI.

T H E S I S I.

PRINCIPEM LEGIBVS SOLV-
tum esse, ait L. Princeps 31. D. de LL.
Hinc pleriq; Interpp. Principi sive Impe-
ratori eiusmodi tribuunt plenitudinem
potestatis, qua contra, extra, & supra jus
omnia possit: Quod verò minimè con-
sentaneum esse putamus.

l. 4. C. de LL. l. 3. C. de testam. l. 1. & 2. D. de LL. §. fi. Inst. qui-
bus mod. test. infir. l. 8. §. 2. D. de inoffic. testam. l. 9. C. de ll. c. cum o-
mnes ext. de const. c. pro illorum ext. de prob. c. iustum distinct. 6. l.
4. C. ad l. Falcid. arg. l. 6. C. vnde vi. Ezech. c. 46. n. 18. Coras. lib. 2.
miscell. c. 25. Covarr. lib. 3. var. resol. c. 6. n. 8. Connan. lib. 1. com. c.
8. n. 3. Ar. Pinel. in Rubr. p. 1. c. 2. n. 25. C. de resc. vendit. Vasq. ill.
contr. c. 26. num. 2. Zas. cons. 10. num. 10.

Contrarium defendunt Gail. l. 2. pract. ob. 56. Cotta in
memor. V. Imperator f. 400. Vacon. à Vacun. declarat. 48. nu. 9. &
alii infiniti, quos refert Pruckman. in tract. §. soluta potestas, de re-
gal. c. 2. n. 2. & seqq. Textus & rationes complures pro hac opinio-
ne facientes adducit Pruckman d. c. 2. n. 22. & seqq. Hinc quidam
affirmare non cohorrerunt, Principem absq; ulla causa, vi solius le-
gibus non circumscripti imperii, rei sua dominio iure quem privare
posse Matth. de Affl. c. 1. §. similiter n. 14. de cap. qui cur. vend. Va-
con. à Vacun. declarat. 48. n. 9. & alii, quæ opinio iam dudum explo-
sa est. Etiamnum tamen omnes ferè Interpp. in ea persistunt senten-
tia: Principem causa publica utilitatis interveniente, rem seu ius u-
nius alteri dare posse: Sed nec his assentimur, nisi consensus illius cu-
ius res est, accedat, quo tamen casu pretium domino refunden-
dum est l. 13. §. 1. com. prad. arg. l. id quod nostrum, D. de reg. iur.

210. § 1. de iust. & iur. l. non debet de reg. iur. lib. 6. Nullibi enim in iure dispositum scimus dominium rei meae, vel ius meum a me, nisi ex duobus capitibus tolli posse, uno nimirum consensu; altero delicto. Huic sententiae accedit Prukman. c. 4. Effect. 5. n. 15. & seqq. Responsionibus tamen eius, ad l. 15. §. 2. de rei vindic. l. 11. de evict. & l. 2. §. 16. ne quid in loc. publ. reiectus, aliter res expediri poterit.

II.

Intricata quaestio est, varie à Dd. agitata: An pupillus sine tutoris autoritate obligetur, & quatenus? Equidem propriè, quo ad suam personam, ne naturaliter quidem eum obligari, nisi quanto factus est locupletior verius putamus.

l. 41. de condict. indeb. l. pupillus 59. de oblig. & act. l. 13. §. fin. cum l. seq. D. condict. indeb. l. 5. in pr. D. auct. & cons. tut. l. 1. §. fin. & 2. ll. seqq. commod. l. 4. §. 4. de dot. mal. except. Cuiac. in l. 127. de verb. oblig. & 17. obs. 4. Ant. Mercat. lib. 3. notat. c. 21. & 2. seqq. Pac. cent. 4. ἐναρτιοφ. q. 10. Vult. 1. discept. 16. Duar. in tit. de condict. indeb. c. 6. & de oblig. & act. c. 2. Treutl. p. 1. disp. 6. th. 5. & disp. 29. th. 9. & part. 2. disp. 8. th. 6. Dissentiunt Dd. variè gl. & eam sequutus inter alios Robert. 2. recept. lect. 17. lib. 3. animad. c. 21. & 3. not. ad notat. Merc. c. 21. distinguunt inter pupillum infantiae & pubertati proximum, ut hic naturaliter obligetur, ille non item. Eguin. Baro in manual. ad l. 13. §. fin. de condict. indeb. naturali obligatione tantum eum non teneri, ea autem quae est iuris gentium teneri putat. Aliter Coras. lib. 6. Miscell. c. 22. distinguit inter obligari naturaliter & natura. Fulgos. manifestas in hac quaestione autinomas esse affirmare non corroborat. Bollog. ex mutuo non obligari pupillum ex aliis contractibus obligari asserit. Alii aliter, qui partim impingunt in ipsas ll. partim refutantur à Vult. 1. discept. 16.

III.

Vicina huic est quaestio illa; An minores sine consensu curatorum obligari possint? Distinctionem inter puberes curatores habentes & non habentes communiter receptam admittimus, ut hi quidem obligentur, illi non item, nisi forsitan conditionem suam fecerint meliorem.

l. 3. C.

l. 3. C. de in integr. restit. min. l. 101. de verb. oblig. arg. l. 28. in fin. D. de pact. in pr. & §. 1. instit. de auth. tut. l. non eo. 14. C. de procur. Robert. 1. ann. 12. Duar. & Donell. in d. l. 101. Goedd. in l. 21. de verb. sig. Diss. Cuiac. in d. l. 101. & 19. ob. 33. Ant. Merc. lib. 1. notat. c. 12. VVesemb. in pr. Inst. de auct. tut. qui indistinctè eos obligari asserunt, d. l. 3. verò de rerum alienatione accipiendam esse, non de obligatione. Sed animadvertere debebant obligationem tanquam causam præcedere alienationem. Sic d. l. 3. de venditione tantum loquitur, ex qua nascitur obligatio personalis. At non venditione, quæ solo consensu perficitur, §. cum autem Inst. de emt. & vend. sed traditione, quæ venditionem subsequitur, dominium in emptorem, qui venditori de precio satisfecit, transfertur l. 20. C. de pact. l. 15. C. de rei vindic. Nec video qua ratione hæc responsio satisfaciatur d. l. 101. An non obligationem quoque ex stipulatu, de qua in d. l. loquitur Modestinus sequuta traditione sequitur alienatio? Aliter (retenta opinione Cuiacii) has ll. conciliat Vult. c. 16. discept. quem sequitur Treutl p. 1. disp. 6. thes. 5. & disp. 20. th. 9. Alii inter quos & Zasius in d. l. 101. naturaliter tantum non etiam civiliter puberem sine curatoris consensu obligari autumant.

IV.

Prodigo ut olim auctoritate, potestate & iussu LL. 12. tabularum bonis interdicebat prætor, sic nunc nihil ex his immutatum esse persuasum habemus, nisi quod olim in curatione fuerit agnatorum; hodiè verò à prætore ipsi curator detur.

l. 1. D. cur. fur. l. 10. l. pen. eod. l. 55. §. 4. de administ. & per tut. Paul. lib. 3. sent. tit. 4. §. Moribus, iunct. l. 1. de cur. fur. In fragmentis LL. 12. tabul. hæc leguntur verba: ut qui prodigus existeret, ei prætor causa cognita bonis suis interdiceret, inq. ipsius pecunia agnatorum gentiliumq. potestas esset. Dissentiunt, Donell. in l. 6. de verb. oblig. qui lege ipsi interdici putat, nec necessariam esse sententiam Magistratus; Aliter Cuiac. in l. 16. qui test. fac. poss. & in l. 6. de verb. oblig. Vigl. VVes. Myns. Schneid. Borch. in §. item prodigus, Instit. quib. non est perm. fac. test. Connan. lib. 9. com. c. 4. num. 11. Geil. 2. de pac. publ. c. 4. n. 12. Treutl. p. 1. disp. 6. thes. 5. & disp. 20. th. 9. olim quidem ipso iure, hodiè verò sententia Magistratus, istud fieri existimant.

V.

De impensis vix est, ut quid certi in tanta opinio-
num varietate concludi possit: Sic sentimus: Necessari-
as impensas tam bonæ a, quam malæ fidei b possesso-
rem deducere. In utilibus discrepat bonæ fidei a ma-
læ fidei possessore, ita, ut illi itidem eas deducere c: huic
verò tollere duntaxat, quatenus id sine læsione prioris
status fieri potest, licitum sit d. Voluptuarias uterq;
tollit, citra tamen detrimentum & interitum rei e. Et
hæc in actione in rem speciali. In petitione hereditatis
tam necessarias quam utiles impensas sive sit bonæ, sive
malæ fidei possessor deducit f, Voluptuarias bonæ fidei
possessor quidem deducit g: Sed malæ fidei possessori
potestas faciendæ est tollendarum earum, quæ sine de-
trimento ipsius rei tolli possunt h.

a l. 7. §. fin. D. sol. matrim. l. 8. D. pign. act. l. 5. d. famil. er-
cisc. et si res non extet amplius in quam facta sunt d. l. 8. l. 10. l. 22.
D. neg. gest. l. 38. D. pet. her. l. 4. d. imp. in res dot. fact. Cuiac. 10.
obs. 1. Goedd. in l. 79. n. 6. de verb. signif. Si modo sine vitio aut culpa
eius interierit. d. l. 22. b l. 5. C. de rei vind. Sed hic non aliter nisi
res melior facta extet. l. plane 38. de petit. hered. Cuiac. & Goedd.
d. l. Sarmient. 1. select. interp. 10. n. 5. Diss. Treutl. p. 2. disp. 20. th. 6.
c l. 27. §. ult. l. 38. l. 48. de rei vindic. l. 29. §. pen. de pignor. l. 1. C.
de infant. exp. quatenus, nimirum pretiosior res facta est. d. l. 38. &
d. l. 29. §. pen. Donell. 4. com. 33. Diss. Cuiac. d. obs. 10. c. 1. In his ta-
men bonus iudex variè ex personis causisq; constituet d. l. 38. d l.
5. C. de rei vind. l. 37. D. eod. l. 5. C. de ædif. priv. Don. 4. com. 33.
Sarm. d. c. 10. n. 5. Garf. Gallec. in tract. de expens. c. 5. nu. 1. Bron-
chorst. Assert. 26. cent. 2. Diss. Cuiac. d. c. 1. Borch. in §. certè Inst.
de rer. divis. e l. 3. §. 4. de in rem verso l. 10. §. 10. Mand. l. 9. l.
11. de impens. in res dot. fact. l. 39. de pet. her. Myns. in §. certè Inst.
de rer. div. num. 9. Menoch. 15. remed. recup. poss. num. 530. &
545. Dissentiunt Garf. d. tr. c. 1. n. 32. Cuiac. d. c. 1. Ant. Fab. lib. 2.
coniect. c. 1. qui bonæ fidei possessorem eas deducere posse tradunt. A-
liter diss. Goedd. d. l. 79. §. ult. n. 3. in malo fidei possessore, quem nec
tollere voluptuarias impensas posse asserit f l. 38. de petit. hered. ad-
bibita tamen distinctione quæ extat in d. l. 38. Donell. d. c. 33. Cuiac.
d. c. 1.

d. c. 1. Diff. Ant. Fab. d. c. 1. g l. 39. de pet. her. Cuiac. d. c. 1. Diff. Goedd. d. c. 7. h d. l. 39. Cuiac. d. c. 1. Diff. Goed. d. n. 3. Fit autem hac impensarum deductio aut iure retentionis, aut per exceptionem aut per implorationem officii iudicis l. 33. de condict. indeb. l. 14. de dol. mal. except. l. 38. de rei vind. l. 48. eod. l. 38. de pet. her. l. 11. de noxal. act. An iure actionis? Non puto, nisi vel contractus aliquis precesserit, vel aliquid negotii gestum sit. d. l. 33. de condict. indeb. d. l. 48. de rei vind. d. l. 14. l. 19. §. 4. l. 55. §. 1. d. l. 61. loc. l. 8. de pig. act. l. 10. l. 22. de neg. gest. Dissen. Goedd. in d. l. 79. num. 7. & seqq. Treut. p. 2. disp. 20. thes. 6.

VI.

De fructibus quoque quid sentiendum, non expediti iuris est: Et quidem bonæ fidei possessorem omnes tam naturales quam industriales suos facere existimamus a. Sic tamen ut eos si nondum consumpti fuerint domino supervenienti restituere teneatur b.

a l. 48. de acquir. rer. dom. l. 25. l. 28. de usur. l. 4. §. lana de usucap. VVes. ad d. §. si quis à non dom. Inst. de rer. div. n. 10. Ant. Fab. 4. coniect. 17. Vult. discept. 29. Diff. Duar. ad tit. de naut. foen. Donell. 4. com. 25. & in tract. de fruct. c. 4. b l. 22. C. de rei vind. l. 4. §. 2. D. fin. reg. §. 2. in fin. Inst. de offic. iud. §. si quis à non domino Inst. de rer. divis. VVes. d. §. n. 13. Diss. Donell. 4. com. 26. nisi illos usuceperit: Nam fructus etiam per se consideratos bonæ fidei possessorem usucapere posse, verius est. l. 4. §. fructus 5. & §. 19. de usucap. Covar. lib. 1. var. resol. c. 5. n. 7. Menoch. remed. 15. recup. poss. n. 588. Ant. Fab. d. c. 17. in fin. Diff. Cuiac. in d. §. 19. l. 4. de usucap. VVes. in d. §. si quis à non domino n. 12.

VII.

Sed malæ fidei possessor omnes non tantum perceptos, sed etiam consumptos & percipiendos a, etsi titulum suæ possessionis habuerit b, quibusdam malè reo fragantibus c restituet.

a l. 22. C. de rei vind. l. 4. §. 2. d. fin. reg. §. 2. Inst. de offic. iud. §. si quis à non domino Inst. de rer. divis. b l. 10. §. 20. D. que in fraud. cred. l. 1. C. de fid. & iur. hast. fisc. lib. 10. l. 7. C. de agric. & cens. lib. 11. §. 2. in fin. Inst. de offic. iud. Copus, de fruct. lib. 2. sit. 4. c. 2. Vult. d. c. 20. c Contradiciunt gloss. in l. 35. §. 1. D. de rei vind.

rei vind. Hotom. de fruct. p. 80. Socin. in reg. fall. 308. limit. 4. An idem iuris sit in mala fidei possessoris herede, mala eius fidei minimè conscio q^r? N. l. 48. §. 1. de acquir. rer. dom. l. 23. §. 1. eod. Cop. d. lib. 2. tit. 4. c. 3. Myns. in d. §. si quis à non domino n. 11. Diss. Menoch. d. rē. 15. n. 618. Treut. p. 1. d. sp. 15. ab 11. De eo quoq³ qui ab initio bona fide possidere cœpit, postea rem alienam esse cognovit, inter Dd. non convenit? Negativam defendentibus calculum addimus. d. l. 48. §. 1. arg. l. 20. §. 11. l. 25. §. 5. de pct. her. l. 23. §. 1. l. 40. de acquir. rer. dom. Menoch. d. rem. 15. n. 613. Copus d. tr. lib. 2. tit. 4. cap. 5. Donell. 4. com. 24. f. 285. Cuiac. 7. ad Afric. in l. 40. de acquir. rer. dom. Goedd. in l. 109. n. 12. de verb. sig. Diss. Duar. ad tit. de naut. scē. in fin. Ant. Fab. 4. coniect. 16. vide etiam Covar. 1. var. resol. c. 3. n. 7.

VIII.

Inter fructuarium quoq³; seu ipsius heredem, & dominum proprietatis, quæ sit ratio ineunda in dividendis fructibus, controversum feci doctiss. Cuiacius. Nos contra ipsum communem defendemus.

l. 12. §. si sur l. 58. de usufr. l. 13. quib. mod. usufr. amitt. l. 8. de ann. leg. §. Is verò. Instit. de rer. divis. Harim. Pist. 1. q. 24. nu. 16. & seqq. Myns. VVes. Schneid. Hotom. in d. §. Is verò diss. Cuiac. 4. feu. 30. & 14. obs. 22. n. 38. Ant. Merc. lib. 2. not. c. 10. qui eam miri vult rationem, quæ servatur inter maritum & uxorem, soluto matrimonio, per l. 26. de usufr. & l. 5. §. si post litem, si usufr. pet. Paulò aliter diss. Robert. 2. Animad. 10. & in not. ad Merc. 2. c. 10. Neq³; tamen ut fructus fiant usufructuarii, requiruntur, eos asportatos & in horreum reconditos esse sed sufficit ab ipso esse perceptos d. l. 13. d. §. is verò ubi Myns. Schneid. & Borch. diss. gloss. in d. §. Is verò. verb. percepti & Hotom. eod. qui insuper fructus coactos seu expressos esse requirit, contra d. l. 13.

IX.

Quoad dividendos extremi anni inter coniuges soluto matrimonio fructus, Dd. in enodando intellectu §. Papinianus l. 7. D. solut. matrim. mire variant: Illorum opinio verior videtur, qui vindemia fructus, & quartā portionem mercedis, instantis anni, committeri ita volunt, ut ex ea pecunia tertia portio non pecuniæ confusa, sed totius redditus annui viro relinquatur.

Cum

Cum enim tertia parte anni matrimonium steterit, equum est tertiam etiam partem fructuum, non plus aut minus ad ipsum pertinere. arg. pr. & totius d. l. 7. Donell. lib. 14. comment. c. 7. f. 240. 55. Duar. lib. 1. disp. c. ult. & ad d. l. 7. §. 1. Coras. 5. Miscell. 7. diff. varie Dd. Zas. ad d. l. 7. §. 1. Cuiac. 2. sent. Paul. 22. 4. feud. 30. & 14. obs. 22. Mercat. 2. not. 8. & c. tertiam partem pecunie confusa ipsi relinquunt. Sed hac ratione aut plus aut minus tertia parte maritus consequetur: Connan. 8. comment. 10. n. 8. aliter computat. Aliter Robert. 2. animad. 8. qui confundi vult quartam partem mercedis cum dodrante fructuum: Ant. Fab. 1. coniect. 13. mercedem totius instantis anni cum fructibus universis confundendam, & huius pecunie confusae tertiam portionem viro tribuendam putat; Sed hac computatione servata, non fructuum vindemia & quartae partis ex mercede instantis anni (quod vult Papinianus) fiet confusio, sed totius mercedis instantis anni cum fructibus omnibus praecedentis. Accipiet ergo maritus tertiam partem fructuum duorum annorum, cum tertia parte unius anni tantum steterit matrimonium, quo ferè redit Treutl. 2. p. disp. 7. thes. 12.

X.

Mortuo vasallo, ultimi anni fructus, utrum ad dominum feudi pertineant, an verò ad heredes vasalli defuncti variis certatum est opinionibus? Illorum opinionem veriore iudicamus, qui distinctionem c. un. §. His consequenter 2. F. 28. retinent.

Schrad p. 7. c. 3. n. 13. Hartm. Pist. 1. q. 24. nu. 38. & seqq. Zas. p. 10. in fin. Sonsb. p. 10. n. 10. Borch. c. 7. n. 95. Vves. par. D. sol. matr. circa fin. & tr. feud. c. 9. & 10. nu. 5. quamvis in addit. ad Schn. in §. Is verò Inst. eam rejiciat. Duar. c. 17. in fin. Covar. 1. var. r. sol. 15. n. 14. Rosent. c. 10. §. 115. Dissen. Molin. in consuet. par. 1. §. 1. n. 11. qui sententiam in d. §. his consequenter, ultimo loco relatam amplectitur. Aliter Cuiac. 4. F. 30. eam putat observandam esse divisionem, quae fit inter virum & uxorem soluto matrimonio ex l. 7. §. Papinianus D. sol. matrim. Verba verò illa Post Augustum d. §. his consequenter, inclusive sunt accipienda. Hart. Pist. d. loc. nu. 47. Rosent. d. loc. Dissen. Frider. Schenck in d. §. his consequenter. Idq. tam in naturalibus quam industrialibus fructibus obtinere censemus Pist. d. q. n. 54. Borch. d. c. 7. num. 95. Rosent. d. c. 10. §. 118.

B

Sonsbec.

Sousbec. d. n. 10. Diss. Andr. de Ifern. in d. §. His consequenter. Idem
Iuris in casibus & redditibus annuis. Pist. n. 57. & seqq. Dissent. Mo-
lin. d. lo. gloss. 8. n. 35. In pensionib. quoq; fundi feudalis locati idem
defendi potest. Harim. Pist. lib. 1. q. 25. Rosent. d. c. 10. §. 117. Diss.
Petr. de Anchor. cons. 193. per tex. l. defuncta 58. D. de usufr. Nisi
forsitan æquitatis intuitu tam hoc posteriori quàm precedenti casu
quis admittere malit dispositionem l. 7. §. Papinianus D. sol. matr.
Nam illam qua traditur in d. l. 58. de usufr. (cum peculiari ratione in
usufructuario sit recepta) non admittimus. Eadem ratione distin-
guendum est, si feudum ad agnatos defuncti devolutum sit c. un. 2.
F. 45. Pistor. d. q. 24. n. 50. & seqq. Diss. Schrad. d. n. 12. Vves. d. n.
5. qui hoc in casu servari volunt dispositionem l. 7. §. Papinianus d.
D. sol. matrim.

XI.

Mulierem ratione dotis, creditoribus non solum
tacitam, sed etiam expressam hypothecam anteriorem
habentibus præferri, iuris textibus convenientius pu-
tamus.

l. Asiduis C. qui pot. in pig. hab. l. in rebus C. de iur. dot. Nov.
97. c. 3. Nov. 109. c. 12 Sumatur ex d. Nov. 97. c. 3. talis facti spe-
cies: Domus specialiter obligata est Titio creditori primum, tum cæ-
pit esse obligata mulieri tacite ex causa dotis: Deinde Sempronio,
qui ad restitutionem illius domus pecuniam credidit. Hoc casu Sem-
pronius præfertur Titio: At Sempronio præfertur mulier: qua ratio-
ne ergo mulier non præferenda est etiam Titio, qui iam exclusus est
à Sempronio. Facessat itaq; responsio quorundam dice ad hanc Nov.
dicentium: Mulierem propterea præferri ei, qui pecuniam credidit ob
restitutionem ædificii Sempronio quia sit anterior tempore: Sem-
pronium vero Titio vi tacite hypothecæ? Annon mulier quoq; in ea-
dem re tacitam habet hypothecam? Cum igitur vi eiusdem tacite hy-
pothecæ præferatur Sempronio, quid ni etiam Titio iam remoto à
Sempronio? Sic in d. l. Asiduis privilegium anterioris temporis, ta-
citam interpretantur hypothecam: Aequipollent itaq; privilegium
temporis & tacita hypotheca? quod nullo textu iuris (quod sciamus)
probari potest. Rectius igitur in d. l. privilegium temporis accipie-
tur pro prerogativa temporis. Nam etsi privilegia non ex tempore
estimentur, sed ex causa. l. 32. de reb. auct. iud. poss. tamen privile-
gium

gium temporis idem esse quod prerogativam temporis apparet in l. 10. D. qui pot. in pig. hab. Et quid est, quod de sensu horum verborum laboremus, cum Interpretem habeamus ipsum Imperatorem: Quod enim in Nov. 109 c. 1. dicitur: ut etiam prioribus creditoribus preponantur, & meliorem ordinem eas habere, & nec à tempore superatas, illud est, quod alius verbis proponitur in d. l. Asiduis, mulierem potiora iura contra omnes habere mariti creditores, licet anterioris sint temporis privilegio vallati. Huic sententiæ accedunt Myns. 1. obs. 61. & 4 obs. 13 & ad §. fuerat. Inst. de act. Cuiac. d. Nov. 97. & in par. C. de priv. dot. & add. l. Asiduis Vander, de priv. cred. c. 4. Merc. 3. not. 14. Robert 3. anim. & not. ad notat. Merc. 14. Borcholt. in §. actionum Inst. de act. Treutl. p. 2. disp. 24. thes. 7. & c. & secundum hanc opinionem pronunciari in Camera Imper attestatur Myns. 4. obs. 13. Bronchorst. Assert. 19. centur. 2. Dissentiunt Gail. l. 2. obs. 25. n. 10. Donell. ad d. l. Asiduis Zas. in l. 17. §. si sponsa, de reb. auct. iud. poss. Seu ut alii, de priv. cred. Covarr. 1. var. resol. 7. n. 1. Hardevv. à Dassel. in comm. ad consuet. reip. Luneb. art. 22. n. 7. Schneid. in §. fuerat. Instit. de act. n. 58. & c.

XII,

Res ex pecunia dotali à marito comparatæ dotales non sunt, nec uxoris fiunt, nisi ipsius nomine eas comparaverit.

l. 12. C. de iur. dot. l. ult. C. de serv. pig. dat. man. l. 26. 32. 54. D. de iur. dot. l. 21. de pact. dot. arg. l. 25. de acquir. rer. dom. l. 22. §. fin. sol. matrim. & ibi Duar. Ant. Fab. 5. coniect. 9. Diss. Donell. 5. com. 2. vide Cuiac. 5. obs. 29. Pac. 5. in art. 9. 53. Regulariter enim res, pecunia mea, nomine alterius empta, ipsi cuius nomine est comparata, non mihi acquiritur. l. 6. C. de rei vind. l. 1. l. 8. C. si quis alt. vel sib. l. 4. C. com. urr. iud. l. 2. C. pro soc. Militi tamen, si sua pecunia quantumvis nomine alterius res fuerit empta, utilis datur vindicatio favore militie l. 8. C. de rei vind. Idem tribuit Donell. d. c. 2. in fin. pupillo & minori in rem ex pecunia eius à tutore vel curatore emptam per l. 2. quand. ex fact. tut. l. 3. C. arbit. tut. l. 52. in pr. de pecul. Cui contradicunt, Ant. Fab. d. c. 9. Treutl. p. 2. disp. 24. thes. fin. moti l. pen. C. de serv. pign. dat. man. l. 3. de reb. eor. qui sub tut. & c. Re tamen à marito suo nomine ex pecunia dotali comparata, si non sit solvendo, mulieri utilem vindicationem competere, cum Cuiatio, cono

tra Ant. Fab. asserimus l. uxor 55. de don. int. vir. & ux. l. 88. de sol. l. 29. §. si. & l. seq. de don. int. vir. & ux. Cuiac. 5. obs. 29. Pac. 5. évav. q. 53. Quod ad omnes alios, quorum pecunia emptæ res est, protrahere, contra eundem (si sc. emptor non sit solvendo) non dubitamus, cum maxime, d. l. uxor. loquatur non de re comparata ex pecunia dotali (cuius maior est favor) sed duntaxat ex pecunia ab uxore marito donata. Diff. Fab. d. c. 9.

XIII.

Certissimum est, de iure D. & C. in totum nullum esse testamentum patris, qui aliquem ex liberis in eo præterit a: An verò id abrogatum sit per Nov. 115. c. 3. q. 2. Negantium sententiam probamus b.

a l. 7. de lib. & post. pr. Inst. de exher. lib. l. 4. §. sancimus. C. de lib. præter. b Cuiac. in l. filio 17. de lib. & posth. & in l. 17. de iniust. rup. test. VVes. in §. 5. Instit. de exher. lib. Nam d. N. 115. c. 3. de ea tantum loqui præteritione, quæ pro exheredatione habetur, plus quam manifestum est. Dissentiunt Donell. in aurb. ex causa c. de lib. præter. & 6. com. 13. & 16. f. 41. Conn. 9. com. 8. n. 10. Clar. §. testamentum q. 52. n. 2. Gail. l. 2. obs. 113. in pr. Idq; multo magis si ignoraverit se habere liberos l. 36. §. 2. de testam. mil. l. 9. l. 10. C. de testam. mil. Clar. d. q. 52. n. 4. Gail. d. obs. 113. n. 2. Treutl. p. 2. disput. 11. th. 1. Diff. Donell. dd. loc. etiam quoad militis testamentum, contra expressum text. l. 36. §. 2. D. testam. mil.

XIV.

Cuiusque rei sequestrationem necessariam seu iudiciale regulariter esse prohibitam, communis est sententia, à qua Robertus cum Cuiacio, malè divortium fecère.

Myns. 5. obs. 35. & 2. obs. 11. Gail. c. 1. n. 7. de Arrest. Coras. 3. Miscell. 2. n. 6. Specul. in tit. de seq. poss. Ferrar. Pap. in form. sequest. gloss. 1. n. 2. & 3. Duar. in l. un. C. de prohib. seq. pec. Goed. tract. de seq. poss. cap. 1. num. 83. per text. d. l. un. l. 58. de re iud. l. 9. C. de oblig. contract. l. fin. C. de execut. rei iud. Nemini siquidem possessionis commodum absq; cause cognitione ne à iudice quidem est adimendum, nemoq; in eo turbandus text. in c. conquerente ubi Panorm. n. 7. de restit. spol. & in l. fin. C. si per vim. Dissentiunt Robert. 1. sent. 5. Cuiac. in par. C. de prob. seq. pec. Idq; adeò verum putamus, ut ne ob contumaciam quidem rei non comparentis, seque-

sequestrari res debeat c. 1. de seq. poss. & ibi. Goed. n. 106. Maximè cum hoc in casu pinguiori remedio scilicet missione in possessionem auctori subveniat, hacq; ratione contumax beneficio, actor verò damno afficeretur: Ius enim prætorij pignoris, quod per missionem in possessionem ex primo decreto missus consequitur, per sequestrationem ipsi adimeretur: Nemini autem ius suum alterius facto quæsitum, invito detrahendum est, ne quidem per Imperatorem l. 4. C. de emancip. l. id quod nostrum de reg. iur. Dd. ad l. digna vox C. de ll. Diff. Covar. d. c. 2. n. 8. cum aliis quos refert. Goedd. d. loc.

XV.

Indubitati iuris est, eum qui pecuniam ob restitutionem ædificii extruendi mutuam dedit, tacitam ex SC. habere hypothecam a: An verò id ipsum ad eum, qui pecuniam credidit ad instruendam, reparandam, extruendam navem &c. porrigatur, dissentientes opiniones sunt? Negativa Donello placet, quæ utrum defendi possit, disputationis monstrabit exercitium b.

a l. 1. in quib. caus. pig. vel hyp. tac. contr. l. 1. de cess. bon. l. 25. de reb. cred. l. 24. §. 1. de reb. auct. iud. poss. b Sic tamen ut inter chirographarios creditores privilegium habeat, nullam verò hypothecam, nisi pacto vel conventionem sibi de ea prospexerit; eo enim in casu expressam habet privilegiatam l. 26. l. 34. de reb. auct. iud. poss. l. 17. C. de pignor. l. 7. C. Qui pot. in pig. hab. l. 5. D. eod. Donell. c. 5. de pignor. Robert. 3. anim. 14. f. 320. Connan. 4. comm. 17. Nam Reip. interest civitatis aspectum ruinis non deformari: quæ ratio cessat in navi & aliis rebus. Dissentiunt Cuiac. tract. 8. ad Afric. ad l. 9. qui pot. in pign. & ad l. Asiduis C. eod. Covar. 1. var. resol. c. 7. nu. 2. Gail. 2. obs. 12. n. 4. Vand. de priv. cred. c. 8. Zasius in d. l. 25. n. 6. & in l. 32. de reb. auct. iudic. poss. seu ut al. de priv. cred. n. 6. qui idem tribuunt illi, qui in aliam etiam rem reficiendam pecuniam credidit.

XVI.

Neq; urbanorum neq; rusticorum prædiorum servitutes constitutas sine prædio cui debentur pignori neti posse verius est c. Tentari tamen potest contra omnes, servitutes in rusticis prædiis creditori pignoris loco à domino constitui posse: non etiam in urbanis b.

B 3

al. 11.

a l i i . § . fi . de pig . l . 2 4 . de serv . prad . urb . Sunt enim inutiles
creditori : quippe quæ non ipsi possint deberi , quia non sunt servitus
res personales , neq̄ eius prædio , quia alii prædio coherent , à quo
non separatur , nec invito domino fundi servientis in alium transferri
possunt arg . l . 2 3 . § . 1 . & seq . l . 3 4 . de servit . prad . rust . Imò nec ipsi
ad alterius quam ipsius fundi cui constituta sunt , commoditatem , ijs
uti possumus l . 5 . l . 2 4 . D . de servit . rust . quæ rationes militent aequè
in rusticis ac urbanis servitutibus . Duar . 2 . disp . 1 3 . Don . tr . de pignor
c . 1 0 . Pac . cent . 5 . q . 2 6 . Treutl . p . 2 . disp . 1 . thes . 5 . & p . 1 . disp . 1 7 .
th . 1 2 . Dissentiunt . Cuiac . lib . 1 5 . obs . 6 . & in par . C . Si al . res pig .
Conn . 4 . comm . 1 4 . b Moveor his rationibus 1 . l . 1 1 . § . fin . &
seq . de pign . Cum enim nominatim de prædiorum urbanorum ser-
vitutibus Marcianus dixerit in d . § . final . è vestigio de servitutibus
rusticorum prædiorum per adversativam in l . seq . ex Paulo sub-
iungitur , quod non fieret , nisi diversum ius in utroq̄ intelligere Icti
voluissent . Sed nulla est diversitas in servitutibus constitutis . Ergo in
non constitutis ea sit oportet . Nec nodum hunc solvit , quod ait
Duar . & Donell . dd . loc . d . § . fin . loqui de servitute constituta : l . verò
seq . de constituenda , adeoq̄ diversitatem esse in personis constituen-
tibus , non verò in generibus servitutum : Nam verba illa d . § . fin . Igi-
tur nec convenire possunt , ut hypotheca sint , propriè conveniunt
servituti nondum constituta , præcedentia autem servituti tam con-
stitutæ : Legem v . seq . 1 2 . de servitute nondum constituta accipien-
dam esse haud invitus concedo . 2 . Si idem obtinere voluisset Paulus
in urbanorum quod in rusticorum prædiorum servitutibus , cur quæso
nullam planè in l . 1 2 . illarum fecit mentionem : Nam quamvis exem-
empli gratia hærelata sint , non tamen prætermisisset exemplum u-
nius tantum servitutis urbana adijcere , nisi diversum in his statuisset .
Nec relevat , quod astruit Duar . Centones hos eiusdem auctoris non
esse : Cum enim Imp . Iustin . omnia sua fecerit . l . 2 . C . de vet . iur . enucl .
non est quod quæramus , quid senserit Paulus aut Marcianus , sed quid
voluerit Iustin . quamvis tam ex verbis & mente harum l . si exactius
ponderentur , quam ex his quæ dixi , colligitur , hanc etiam mens-
tem fuisse Ictorum . 3 . Accedit illud , cum ad tempus eiusmodi servi-
tutes constituantur (nimirum ut quamdiu pecunia soluta non sit ,
eis servitutibus creditor pignori loco utatur d . l . 1 1 . § . fin .) conse-
quens est eas ipso iure non valere (ad tempus enim servitutes consti-
tutæ nequeunt l . 4 . in pr . de servit .) sed propter utilitatem contrahen-
tium

gium esse receptas ; quæ utilitas cessat in servitutibus urbanorum prædiorum : quis enim quæso ad tempus servitutem tigni immittendi, alius tollendi, stillicidij avertendi, oneris ferendi &c. sibi acquisiturus est, cum id paucis forsitan interiectis diebus, solutione facta, eximere, destruere, avertere, maximo cum rerum suarum dispendio cogeretur. Deniq; inutile est pignus, quod alii vendi nequit l. 4. de pignor. l. 1 I. C. de distr. pign. Atquin creditori habenti ades vicinas, cui pignori concessum est ius tigni aut stillicidii immittendi, aut oneris ferendi non est alius vicinus, cui ea servitus usui esse possit. Nam quod ex ædibus suis tignum immittit creditor in ædes debitoris, non æquè alii vicino ex suis ædibus in eandem partem immittendi ullus est usus utilitasve. Nam fieri nequit, ut qua parte mihi licet ista immittere, eadem parte tibi proffit, aut stillicidium, aut tignum, protectumve habere, cum ædificia quantumvis coniuncta, separentur tamen locis: ut autem alia parte ista immissa habeas, utq; alteri prædio servitus ista debeat, invito domino prædij servientis, lex servitutis non permittit: essetq; opus novæ servitutis impositione. Idem iuris est in servitutibus negativis: Nam ne coeli & luminis ad me venientis aspectus auferatur, vicino neq; propriū neq; utile esse potest: At ut lumina eius non obscurentur, illi quidem prodest, sed est alia omnino & diversa servitus alii debita prædio: quia lumen eius non est lumen meum. Inutile itaq; eius servitutis cum sit pignus, id certè alter vicinus nunquam empturus est, & alius non vicinus emerit etiam frustra. Sed in rusticis prædiis, ut hoc modo servitutes constituentur & utilitas contrahentium admittit, & intra diem pecunia non soluta vendi etiam rectè & utiliter possunt d. l. 12. Cum igitur manifesta sit diversitatis ratio inter servitutes rusticas & urbanas, quod in l. 12. de rusticis servitutibus dicitur ad urbanas, obstante potissimum l. præcedente, produci non potest. Dissentiunt Duar. Don. Pac. Treutl. dd. loc. qui idem obtinere volunt etiam in servitutibus urbanorum prædiorum. Aliter Cuiac. Conn. & alii, qui in urbanis quidem nobiscum consentiunt, sed rusticorum prædiorum iura non constituta cum constitutis confundunt.

XVII.

Sive quis rusticorum sive urbanorum prædiorum servitutem habeat, vicino novum opus rectè nunciat d. Domino

Domino non item, nisi eiusmodi fuerit servitus, in qua
ædificatio ipso servitutis iure prohibetur.

l. 2. D. de oper. nov. nunc. l. 1. §. 5. D. de remiss. l. 5. §. 1. & §.
9. de op. nov. nunc. l. 15. de serv. urb. l. 6. §. fin. si serv. vind. idem di-
cendum esse de eo qui rusticam servitutem habet, probant l. 9. de op.
nov. nunc. l. 8. in pr. eod. (iunct. l. 14. §. 2. de serv. l. 3. l. fin. de ser. rus-
tic. l. 17 §. via de aqua & aq. plur.) l. un. §. 3. & seq. de remiss. l.
47. fam. ercis. quod plerunq; fit in servitutibus negativis: Nam non
semper etiam illi qui urbanam habet servitutem novi operis nuncia-
tionem esse concessam apparet ex l. 9. si serv. vind. Cuiac. 1. obs. 17.
Sic si predio meo rustico ea debeatur servitus, ne alius murū, sepem
maceriem, tollas, hanc rusticam servitutem esse negari non potest,
& tamen novi operis nunciatio mihi recte conceditur: Secus si ser-
vitus vehundi, eundi, agendi, igni immutendi, aut stillidii aver-
tendi &c. debeatur: etiamsi enim eiusmodi servitutem habeam, non
tamen propterea etiam mihi competit ius prohibendi, ne dominus in
suo ædificet: sed servitutem vindicare hoc casu non prohibeor l. 14. de
ope. nov. nunc. l. 9. si servit. vind. l. 2. de op. nov. nunc. Dissentiunt Dd. de
versimodē, Duar. 2. disp. 17. Donell. lib. 15. com. f. 549. 23. & f.
22. Zas. lib. 1. sing. respons. c. 9. Pac. cent. 3. xxv. q. 57. & c. distin-
guunt inter rusticorum & urbanorum prædiorum servitutes, ut ob
has nunciari possit, ob illas non item: Alij aliter: vide Cuiac. 1.
obs. 17. Coras. §. miscell. c. ult. Revard. lib. 2. varior. c. 2. Treuil. p. 1.
disp. 17. th. 11. & p. 2. disp. 18. th. 2.

XVIII.

Solennia, quibus ad distractionem pignoris credi-
tor procedere debeat expressa leguntur in l. 4. & seq. de
pign. act. l. 4. C. de distr. pign. lib. 2. sent. Pauli, tit. 5. in pr.
Sed an correctum sit illud per l. ult. C. de iur. dom. imp.
controversum est? Negat Donell. Nos cum communi
Dd. schola idipsum affirmamus.

Ves. in par. D. de distr. pign. Dd. in d. l. 4. per d. l. ult. Diff. Don.
in l. 4. & seq. C. de distr. pign. & in tract. de pign. c. 12. Treuil. p. 2.
disp. 1. thes. 8. An verò, & quibus casibus usurarum nomine pignus
retinere liceat, non adeo expeditum est, propter l. un. C. etiam ob
chir. pec. & l. 11 §. 3. D. pign. act. quæ invicem pugnare videntur?
Dd. in conciliandis, ut variant: Cuiac. 5. obs. 28 textus d. §. 3. manus
injicit:

Injicit: alia tamen ratione eas conciliare tentat 19. observ. 27. Aliter Robert. lib. 1. recept. lect. c. 27. Aliter Donell. in d. l. un. in fin. Alii aliter quas conciliationes in ipso disputationis congressu, Deo annuente, examinabimus. Vide etiam hac de re controvertentes Robert. 1. animad. & 1. not. ad notat. Merc. 26. & Ant. Merc. 1. not. 26. Pac. cent. 4. & var. q. 47.

XIX.

Communis est Dd. sententia, locationem non nisi in pecunia numerata posse consistere *a*. Alii contra non tantum in pecunia numerata, sed indistincte etiam in aliis rebus mensura & pondere constantib. eam constituunt *b*. Nonnulli strictius vel in pecunia numerata, vel in fructibus fundi eam fieri postulant *c*. Quidam pecuniae nomine aliud solvi posse autumant, dum tamen id non sit in conventionem deductum *d*. Distinguendum putamus inter locationem faciendi & fruendi, ut illa non nisi in pecunia numerata *e*, hæc etiam in aliis rebus pondere & mensura constantib. consistere possit *f*.

a Ant. Gomez. tom. 2. var. resol. c. 3. Myns. in §. 1. Instit. de loc. & cond. n. 4. & ad §. Item serviana n. 24. Inst. de act. Schneid. ibid. & in §. actionum, f. 873. n. 11. Inst. de act. Donell. lib. 13. comment. c. 6. f. 152. 48. gloss. in d. l. 5. §. 2. de præscr. verb. per l. 1. §. si servum depos. l. 5. §. 2. de præscr. verb. *b* Coras. 2. miscell. 12. Ar. Pinel. p. 2. c. 3. n. 7. & seqq. ad rubr. l. 2. C. de resc. vend. Cuiac. tract. 8. ad Afric. f. 528. Menoch. rem. 3. adipisc. poss. n. 93. Ves. in par. D. loc. n. 7. & ad §. 1. Inst. eod. Boc. ad l. contractus de reg. iur. c. 4. n. 9. f. 144. per l. 8. l. 21. C. loc. l. 25. §. vis maior. l. 35. §. fin. d. loc. §. adeo Inst. de loc. & cond. *c* Salic. in d. l. 21. Lorient. tr. de pact. axiom. 129. *d* Pet. Greg. Tholoss. in syntag. iur. lib. 27. c. 1. n. 10. *e* d. l. 1. §. si servum. D. depos. l. 5. §. 2. de præscr. verb. *f* d. l. 8. l. 21. C. loc. d. l. 25. §. vis maior. l. 35. §. fin. D. loc. Gregor. Lopez. cap. 15 anim. iur. civ. Quam distinctionem eò libentius admittimus, quod videamus, omnia iura quæ pro sua opinione de pecunia numerata adducunt Dd loqui de locatione faciendi, nec sine ea sufficiens responsio dari possit ad d. l. 5. §. 2. de præscr. verb.

XX.

Levissimam culpam in contractu locationis con-
ductionis

ductionis à conductore, ex natura contractus regulariter praestanda non esse, rectè communiter placuit.

l. 3. §. 1. Naut. caup. stab. l. 5. §. 2. commod. l. contractus, de reg. iur. Myns. Schneid. Borch. in §. pen. Inst. loc. & cond. VVesemb. eod. & in par. d. loc. n. 15. Vult. discept. 15. Boc. in d. l. contractus cap. 4. num. 9. f. 105. Del rio in d. l. contractus c. 11. de reg. iur. Dissent. Donell. 13. com. c. 6. qui etiam ex contractus huius natura diligentiam praestari autumat. Idem sentire Cuiac. ait. Vult. d. c. 15. discept. Sed in l. 23. de reg. iur. contrarium docet Cuiac. pro hac opinione faciunt text. §. pen. Inst. loc. & cond. l. 25. §. pen. D. eo. l. 28. C. eod. Aliter diss. Hotom. in d. §. pen. Inst. loc. & cond. qui distinguit inter locationem rei & locationem operis, ut videlicet illa levem tantum, hac vero etiam levissimam culpam recipiat, quae distinctio pugnat cum d. §. pen. l. 3. §. 1. Naut. Caup. stab. l. 13. §. 1. d. loc.

XXII.

Cum ex innumeris locis D. constet, qui possidet, nihilominus eum actoris partes obtinere a, rectè Acmilus Ferretus cum Hugone Donello vers. Sanè uno casu §. Aequè, Instit. de action. negativè legere videntur. b.

a l. 1. D. de except. l. 19. de prob. l. 1. §. est igitur D. uti poss. §. retinenda Inst. de interd. l. 10. D. fin. reg. l. 44. §. 4. fam. ercisc. l. 1. 18. l. 14. de prob. l. ult. D. si lib. ing. ess. dic. l. 15. de op. nov. nun. b Donell. in d. §. Aequè nu. 23. & seqq. Dissent. Ant. Govean. lib. 1. var. lect. c. 41. cont. lib. 1. lect. subsec. c. 1. Cuiac. in not. Instit. ad d. §. Aequè Myns. in Instit. ad d. §. n. 6. & seqq. Schneid. eod. n. 48. VVes. d. §. n. 4. & in not. ad com. Schneid. d. n. 49. Hot in d. §. Vult. c. 5. discept. Zas. in d. §. n. 31. Robert. 1. rec. lect. 18. Coras. 3. miscell. 23. Treutl. p. 1. disp. 17. thes. 13. & alii qui affirmativam retinent quamvis & hi tam in lectione d. vers. Sanè, quam in sententia, casus illius unici mirificè variant.

XXIII.

Neque species cum pecunia, aut ediversò, neq; species cum specie compensari possunt.

l. 18. in pr. de pign. act. l. 11. de compens. l. 4. & 8. C. eod. arg. pr. Inst. quib. mod. toll. obl. & l. 2. §. 1. de reb. cred. l. 5. de imp. in res dot. fact. l. 26. §. 4. de cond. indeb. Paul. 2. sent. 5. & ibi Cuiac. Marant. p. 4. distinct. 6. n. 2. Donell. §. in bonafidei, Inst. de act. n. 13. & lib. 16.

lib. 16. comment c. 15. f. 696. 11. Zas. in d. §. in bona fidei num. 9.
Myns. ibid. n. 21. Schneid. ib. n. 30. & seq. Bronchorst. Assert. 83.
centur. 1. Dissen. Duar. in l. 7. §. ob donationes D. sol. matrim. VVes. in
par. D. de comp. n. 7.

XXIV.

Graduum computationem in feudis secundum ius
Canon. instituendam esse opinatur Hotom. & eum se-
quutus Hartm. Pistor. quam sententiam textibus iuris
feudalis minus congruere putamus: receptior, ut & ve-
rior est eorum opinio, qui iuris civilis placita in compu-
tandis gradibus sequuntur.

c. un. §. hoc quoque sciendum 1. feud. 1. iunct. §. 1. 1. F. 8. c. 1. 2.
F. 37. §. pen. 1. F. 1. c. un. 2. F. 50. c. un. 2. F. 11. Schrad. p. 7. c. 7. n.
12. Duar. c. 11. n. 14. Cuiac. 4. F. 42. Borch. c. 7. n. 86. Nam in ma-
teria successione atque successioni annexa, undecumque illa successio de-
feratur, sequimur in computandis gradibus, non ius Canon. sed ius
civile c. cum ad sedem 35. q. 5. Etsi dubius est hic casus non ex iure
Canonico sed civili explicandus est, c. un. 2. F. 1. Dissent. Hotom. disp.
19. sol. 108. Hartm. Pistor. 2. q. 19.

XXV.

Fœminas per masculos semel exclusas perpetuo ex-
clusas censerī, communis est Interpp. opinio, quam tam
ab æquitatis, quam veritatis ratione alienissimam esse,
non dubitat affirmare Hartm. Pistor. cui haud invitē
subscribimus.

Arg. §. filia verò 1. F. 8. c. un. 2. F. 30. c. un. 2. F. 17. c. un. 2.
F. 18. c. un. 2. F. 11. §. si duo fratres, 1. F. 14. 1. in ambiguis de reg.
iur. Hartm. Pistor. 2. q. 36. Sonsb. p. 9. n. 131. & seqq. Iul. Clar. in §.
feudum, q. 80. VVes. c. 6. n. 23. Myns. cent. 5. obs. 74. n. 8. ubi plu-
res refert huius sententiæ astipulatores. Dissentiunt Schrad. p. 7. c. 4.
n. 83. Zas. p. 8. n. 58. & cons. 11. n. 7. Gail. 2. obs. 148. Duar. de feu-
c. 10. n. 12. Baro Schenck 1. F. tit. 6. n. 4. Borch. in tr. feud. c. 7. num.
36. & alij complures relati ab Hartm. Pistor. d. loc. moti potissimum
§. quinetiam 1. F. 8.

XXVI.

Verior & communior est eorum sententia, qui
transversales, in infinitum usque ad successionem feudi
admittunt,

c. 1. 2. F. 31. c. un. 2. F. 50. §. satis bene 2. F. 52. c. un. 2. F. 93. Schrad. p. 7. c. 7. n. 8. Baro Schenck. in §. hoc quoq; sciendum, de his qui feud. dar. poss. Zas. p. 8. de success. feu. n. 34. Dua. c. 11. n. 16. Iul. Cla. in §. feudū q. 79. n. 3. Hart. pist. 2. q. 19. n. 26. & seqq. VVes. c. 6. n. 19. Borch. c. 7. n. 93. Myns. cent. 2. obs. 96. Gaill. 2. obs. 150. Cov. lib. 3. var. resol. c. 5. n. 4. Dissentiunt multi allegati à Schrad. & Hart. Pist. ad loc. per c. un. §. hoc quoq; sciendum 1. F. 1. c. un. §. 1. 1. F. 8. Distinctionem tamen illam, inter collaterales primo acquirenti ex pacto succedentes, & eos qui ex primo acquirente descenderunt, (quàm præter alios Schrad. d. loc. & pleriq; ex modo commemoratis probant, quibus accedit Rosenth. c. 7. §. 118. & seq.) cum Hartman, Pist. d. loc. n. 30. non admittimus.

XXVII.

Feudum ob culpam, extra personam Domini commissam, apertum, utrum etiam ad agnatos intra quartum gradum constitutos pertineat: an verò tantummodo ad eos, qui in quarto & ulteriori gradu sunt, spectet, quæstionis est? prius amplectimur.

§. fin. 2. feud. 24. c. un. 2. F. 37. Huic sententia accedit Hartm. Pist. q. 15. n. 12. & seqq. Rosenth. c. 11. §. 10. in fin. Dissentiunt Zas. p. 10. n. 104. Sonsb. p. 13. n. 8. Baro Schenck. in §. si vasallus culpam 2. F. 26. Duar. c. 17. n. 3. Borch. c. 8. num. 152. Iul. Clar. lib. 4. §. feudum q. 66. moti d. §. si vasallus culpam & c. un. 2. F. 31.

XXVIII.

Mutus, surdus, vel alioqui inhabilis natura vel ex accidenti tam in paterno quàm novo feudo succedere neutiquam possunt: vitio tamen post acquisitionem superveniente utrumq; retinent.

§. Mutus 1. F. 6. c. un. 2. F. 36 Hartm. Pist. 2. q. 32. Duar. c. 9. n. 15. VVes. c. 6. n. 20. Dissentiunt Dd. diversimodè Zas. p. 8. n. 38. Baro Schenck. in §. Mutus 1. F. 6. & d. c. un. 2. F. 36. Borch. c. 7. n. 63. Distinguunt inter feudum paternum & novum, ut illud quidem si vitium sit ex accidente retinere possint: Secus si à natura: hoc verò nullo modo. Aliter Sonsb. qui tam in feudo genearchico quàm novo, duntaxat distinguit inter vitium sanabile & non sanabile, ita ut priori casu, sive illud sit naturale sive accidentale feudum retinere possint

possint indistinctè: posteriori neutiquam, hacq; ratione prius respon-
sum d.c.un. 2.F. 36 de vicio interpretatur sanabili: Alii aliter, vide
Schrader. p. 7. c. 5. n. 32.

XXIX.

Vasallum si statuto tempore renovationem investio-
turæ dolosè non petierit feudo cadere constat a: De
tempore petendæ investituræ vulgò recepta est distin-
ctio inter militem & paganum, à qua Cuiac. cum Ho-
tom. recessère: Et quamvis utraq; opinio disputando
forsitan defendi posset, à communi tamen minimè dis-
cedendum putamus.

c.un. in pr. 2.F. 24. §. quoniam 2.F. 52. c. 1. vers. præterea
2.F. 55. c. 1. 2.F. 40. c. 1. 1.F. 22. Schrader. p. 6. c. 2. num. 1. & 73.
Clar. in §. feudum q. 49. Zas. p. 7. n. 1. Borch. c. 7. n. 5. Duar. c. 14. n.
2. Vves. c. 8. n. 3. Schenck. in d. c. un. 1.F. 22. Sonsb. p. 12. n. 3. Myns.
5. ob. 9. Rosentb. c. 6. §. 54. Nam & aliàs militibus multa privilegia
sunt indulta, quæ tamen paganis concessa non sunt. l. 1. de testam.
mil. l. 8. l. 11. C. de quæstio. Dissen. Cuiac. & Hotom. in d. cap. un. 1.
F. 22.

XXX.

Neque Dominum neque Vasallum, alterutro invi-
to, feudum alienare posse certissimi iuris est a. Illud
dubio non caret, an dominus ex hac causa, perinde suo
iure cadat, atque vasallus? Negantibus ad stipulamur b.

a §. si quis miles 1.F. 21. §. fin. 2.F. 24. §. ex eadem lege,
2.F. 34. §. firmiter 2.F. 55. b §. si quis fecerit 1.F. 22. arg. l. 14.
§. Divus D. de relig. & sumpt. fun. l. 19. de lib. & posth. l. pen. de pæ-
nis l. 19. C. de collat. Schenck. in d. c. un. §. Ex ead. 1.F. 34. Sonsb. p.
13. n. 18. & seqq. Vvesenb. c. 10. n. 9. Bald. in d. §. ex eadem Dissen.
Clar. in §. feudum q. 28. Zas. p. 10. n. 52. Borch. c. 8. n. 136. Rosent.
c. 9. §. 52.

XXXI.

Positionum numerum claudat notabilis illa quæ-
stio: Verinam cognitio de homicidio in confinio duorum
territeriorum admisso competat? Nos ad utrumque

C 3

confinem

confinem eam pertinere defendemus a. Aut si unius tantum esse debeat, videbimus, an disputando defendi possit, cognitionem ei tribuendam esse, in cuius territorio trucidatus, parte corporis infima, pedibus scilicet incumbens reperitur b.

a *Zasán par. com. divid. n. ult.* Nam si constet in cuius territorii commissum sit res dubium non habet: Eius enim de delicto cognitio est, in cuius territorio illud est commissum l. 1. et auth. qua in provincia. C. ubi de crim. agi oport. Nov. 134. c. 5. Si non constet, eius erit de cæde cognoscere, in cuius ditione ea peracta probabilius signis aut præsumptionibus evincitur: quia verò coniectura cædis qua ex parte corporis colliguntur, non raro fallere possunt: fortè enim moriturus se in alium locum provolvit, vel aliquot passus à loco delicti commissi fugit, vel à delinquente in flumen vel foveam conijcitur, non improbabiler media hac sententia defendi potest. b Nam si quis gladio transfigatur, vel alio telo traiciatur, eo loco id factum fuisse dicendum est, quo stetit cum transfigeretur, vel traiceretur, non quo moriens capite cecidit. Dissen. Borch. in c. un. n. 26. de regal. et commun. Dd. qui eius esse cognitionem asserunt, in cuius territorio capite incumbit occisus: per

l. 44. D. de reig. et sumpt. fun.

Alii aliter.


F I N I S.











32



A IVRIS
VERSI,
RECI-
T FEV-
VMPTA'

AE
e clementia
IDE
mplissimo viro

DEREYGER
O ET IN ILLV-
nensi Pandecta-
P.

nda proponit
AB OSTAV
S S.

VI. matut. in novo
ditorio.



Æ
TEINMANNI.
15-XCV.

